

Astrologia, Zoroaster ita pronunciavit, ex calore, et magnitudine, et luce vivaciore, et radiorum viribus, Platonis sententiae assentiemur libentius. Quoniam tria haec, longe maiorem, quam Astronomorum discordantium instrumenta, certitudinem nobis promittere videntur. Quo vero ad motum eius (quinta haec fuerat ab initio proposita quæstio) quæ prima est eius actio, paucula. Movetur, ut planetæ, motu diurno, et annuo, contrariis, seu potius altero retardante, uti de illis docuimus. Sed actiones eius reliquæ, minus manifestæ sunt, perscrutandæ. Sunt autem eæ, vel cum stellis aliis communes, vel suæ sunt propriæ. Communes quidem sunt lucere, illuminare, calere, calefacere. Haec namque omnibus, uti sunt ignes competitunt. Et qua ignes etiam moventur. Mobilissimus enim, et moventissimus rerum omnium est ignis. Sed motum circularem, et retardantem, et in latera, et velociorem, et tardiorum, et reliquos antea commemoratos, habent a spiritu, ab animo, habent ab intellectu, habent a Dei providentia. Habere ab intellectu, etiam Peripatus contendit universus. Quid vero non solum pluribus, sed etiam contrariis, tum stellarum cæterarum, tum etiam suis planetarum, et Sol cum eis, ferentur motibus? Cum corporis simplicis natura unus tantum, et simplex est motus? Non quidem a natura iis ferentur. Sed ea, potentioribus redente, et nihil repugnante, animalium exemplo, ferentur a spiritu, ab animis, a mente, intrinsecis, et a providentia extrinseca. At eodem tempore, et pluribus, et contrariis cieri motibus, repugnat naturæ. Si natura repugnat corporum, non repugnat incorporeis, animo et menti. Non spiritui inter corpora et incorpora medio. Contrariorum namque, sicuti essentiæ, sic etiam vires, sic etiam debent esse contrariæ actiones. Non est igitur impossibile stellas omnes eodem tempore vel pluribus, vel contrariis ferri motionibus, quando non corporis natura feruntur sola, sed ab incorporeis, quando et animalia saltu feruntur tribus, aut pluribus, iisque contrarii, sursum, deorsum, ante, retro, ad latera, omnibus supra corporis naturam, quæ deorsum tantum habet moveri.

Sed ad proprias Solis actiones accedamus. Uti flamma est, lumen e se emicat et calorem, in æthera primo totum, sicuti et alia sidera, quandoquidem quin id faciant, vetat nihil. Haec communia. Sed Sol, astris ne omnibus, ea sui luminis iaculatione, lumen suum tribuit, eaque lucere facit? Tribuit quidem omnibus, sed lucere nequaquam facit. Nam et ipsa flammæ sunt, et sua essentia lux sunt, non minus, et suis viribus lucere possunt, et lucent. Sed lumen suum, eis Sol addit, lucemque eorum reddit lucidiorem. Lucem ergo eis non indit, sed insitam adauget. At cur præsente Sole, stellæ non cernuntur? Non lucent? Num eis e contra lucem adimit, eamque ita diluat, ut lucere nequeant? Id non Solis, non stellarum culpa fit, sed oculorum nostrorum, hic est defectus. Qui in tam amplio, apertoque Solis lumine radios suos visuales qui et ipsi ut patebit postea, lucidi sunt, et intra oculum et extra, ita debilitat et reddit languidos, ut luces alias discernere nequeant etiam aliquando vicinas. Lumen enim maius, ut est in dictorio, offuscatur minus. Experimenta id comprobant. Flamma satis magna ad Petrammalam in Hetruria, emicat e terra. Qui illac iter noctu faciunt, et sub auroram, a longe eam conspi ciunt. Sereno vero die, intervallo itineris eodem, vix discernitur ob solaris luminis copiam ac vigorem. Si vero radii visuales congregentur in profundo puteo, sursumque suspiciant, tunc sidera cernuntur. Id et Astronomi quidam confirmant, et experientia docet. Non igitur Sol, stellis, lumen adimit umquam. Si candelæ et faces interdiu accendantur. Et Solis lumini, vel opponantur, vel etiam intra lumen ponantur, languent, et fere a nobis non visuntur, non tamen extinguuntur. Si flamma haec nostras in tenuissima fuerit materia, per rarefactionem maiorem, extingui aliquando contingit. Eadem noctu lumine maiore, nobisque propiore, etiamsi lumen suum usque ad nos non porrigit, lucem tamen suam, etiam in tenebris ostentat. Ita est de stellis. Sed cur, luces illæ, cum suum quæque proprium lumen emicet noctu, æther tamen illuminatus non appetet? Magnam quidem, res haec dubitationem afferat, quando Solis lumen etiam tunc fulgens, interdiu in æthere cernitur, cur non et astrorum lumen non discernitur noctu? Id evenire existimandum, quia tanta sit æther raritate, ut lumen neutrum concipere ita possit, ut orientare queat, neque interdiu Solis, neque astrorum omnium noctu. At cur, solius unius Solis lumen, ærem totum implet, et totam ut videtur aquam: tot